





1719.

1. Hamann, Joh. Wilhelmus : De remissione necesse,  
pene fit ob sterilitatem, aliasque calamitates  
ex contracta locationis conductionis.
2. Kleinsehnitz, Nicolaus Wilhelmus : Argumentum  
universum testamenti O Augusti a Jacobo Lam-  
VIII relatum.
3. b, c Plannies, Joachimus Georgius : De ministeria  
= Cobus 3 Sampl. 1740 & 1757
4. Wehrt, Antonius Henricus Josephus : Communi-  
cationes, epistolae, subscriptiones, programma-  
ta, vim rei judicatae nos habere [CVII. 57]

1721.

- 1<sup>a</sup> = Bergh, Franciscus Antonius : De origine,  
usu et abusu possessorii summarii iuris.  
2 Sampl. 1721 & 1790.

1722.

1. Franck, Adam Christoph : De sententiis interlo-  
cutoris et casam revocatione ducta et oco-

zione 160 X de appetationibus

1722.

2. Grewerod, Joh. Luc.: De penis legibus  
et non legibus
3. Homburgk, Joh. Frid.: De pace et societate  
humani generis natura constituta, ex ipsis  
principiis J. Hobbesi probata.
4. Waldschmidt, Johann Wilhelm.: De penis castren-  
sibus. 3 Sampl. 1722 - 1737.

1723.

1. Courati, Joh. Henr.: De juramento manifesta-  
tionis
2. Gregat, Jacobus.: De herede causam successivis  
omnithente et immutante
3. Reichmann, Joh. Henr.: De conditione indebiti  
ut ignorantiam juri non excludenda.
4. Lepore, Johannes.: De jure prohibendi, privati  
competente.

1723.

5. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De relationibus  
descendens, partibus a iudice communicandis,  
vel non communicandis
6. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De bonis et  
Walrecht.

1724.

1. Muelhouse, Joannes Georgius: De contractibus  
iniminitio. 2.
- 2<sup>a</sup> Muelhouse, Joannes Georgius: De paucis tallo  
nis in homicidio 2 Exempl.
3. Titelmanus dictus Schenck, Joh: De legitima  
scientiarum philosophicarum et artium libera-  
lium aestimatione.
4. Titelmanus, dictus Schenck, Joh: De legibus sum-  
mariis
5. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De relationibus  
judicium et magistratum, partibus commu-  
nicandis vel non communicandis.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*









26  
Pri. 55. num. 46. P. 88. 45

SPECIMEN INAUGURALE

EXHIBENS

1719, 2.

ARGUMENTUM UNIVERSUM  
TESTAMENTI  
O. AUGUSTI

882.

ATACITO I. ANN. VIII. RELATUM,  
NOTIS AC OBSERVATIONIBUS JURIDICIS  
ATQUE POLITICIS ILLUSTRATUM

P.

QUOD

DEO T. O. M. DUCE ET AUSPICE

EX DECRETO AC PERMISSU

INCLUTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ILLUSTRACADEMIA PATRIA MARBURGENSI

PRO LICENTIA


SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES,  
INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE  
AC SOLENNITER PROMERENDI

PUBLICO HUIUS ACADEMIÆ PROCERUM, PRÆCEPTO-  
RUM SUORUM HONORATISSIMORUM EXAMINI SUBMITTIT

NICOLAUS WILHELMUS *Meinshmid*/

AD DIEM XXIV, AUGUSTI MDCCXIX.

IN AUDITORIO JCTORUM AD LANUM.



MARBURGI CATTORUM,  
Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad.



SPECIMEN INNOVATAE

Hannover

ARGUMENTUM UNIVERSUM  
TESTAMENTI  
O. AUGUSTI

NOTIS AC OBSERVATIONIBUS IURIDICIS  
ATQUE POLITICIS ILLUSTRATUM

Quod

DEO T. O. M. DUCE ET AUSPICE

Ex Decreto Ac Permissione

INCLUSAE FACULTATIS IURIDICAE  
IN ILLUSTRATA ACADEMIA PATRIAE MANUSCRIPTAE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES,  
INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALI RITE  
AC SOLEMNITER PROMERENDI

PUBLICO HUIUS ACADEMIE PROCESSIONIS PRÆSTANTISSIMO  
KUM SUORUM HONORARISSIMORUM EXAMINE SUBMITTIT

NICOLAUS WILHELMUS (Schindler)

AD DIEM XXIV. AUGUSTI MDCCLXIX.

IN AUDITORIO ICTORUM MD LXXUM.

MANUSCRIPTA

Typis Philippi Casimiri Müllerer, Anno Typog. 1769.



S. D. T. O. M. S. L. H. & G.



Uti curam operamque Legibus dant, ut tenore istarum quò par est argumenta ad eventuum actionumque humanarum rationes idonea adferant, suisque conditionibus ab invicem convenienter distinguant, aliter non possunt, quin suo quaque termino definiant, ac proinde rebus sententiam dicant. Ea meditati obvenerit argumentum Testamenti Caesaris O. Augusti à Tacito 1. ann. 8. sequentibus verbis relatum.

*Nihil primo Senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti, cuius testamentum inlatum per virgines Vestæ; Tiberium & Liviam heredes habuit. Livia in familiam Juliam, nomenque Augusti adsumebatur. In spem secundam, nepotes pronepotesque: Tertio gradu Primores Civitatis scripserat; plerosque invisos sibi, sed jactantiâ gloriâque ad posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod Populo & Plebi CCCXXXV; Prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia; legionariis autem cohortibus civium Rom. trecentos nummos viritum dedit.*

A

Tit. I.

Tit. I.

Rem ipsam antequam aggrediamur, observandum ratione objecti successionem dividi posse in publicam atque privatam. Hæc est, quæ in privatorum hæreditatibus locum habet, illorumque respicit utilitatem. Illa scilicet publica dicitur, quæ publicis in causis obtinet, magisque publicum cujusque Reip. commodum quam ipsius Imperantis utilitatem respicit. Et hujus successionis iterum tot sunt species, quot modi evehendi ad imperium, illique in statu monarchico imprimis locus est. Utraque verò ratione Causæ efficientis dividitur in testamentariam atque legitimam; Hæc dicitur per excellentiam, quia immediatè defertur lege, *L. 3. §. 2. ff. pro soc. L. 30. pr. L. 77. ff. de A. V. O. H.* Illa scilicet testamentaria non tam à lege quam ab homine lege ita approbante fit. *L. 1. §. 3. in fin. ff. de hered. petit. L. 130. ff. d. V. S.* Hinc is, cui per legem succeditur, intestatus appellatur: quia aut omninò non fecit testamentum, aut non jure fecit, aut non cum effectu, (puta) si id, quod fecerat, ruptum irritumvè factum sit; aut si nemo hæres ex testamento facto extiterit: *pr. Inst. de hered. que ab intest. L. 1. ff. de suis & legit. hered. Paul. lib. 4. Sent. tit. 8.* quamdiu verò adest testamentarius, intestatus quis decessisse dici nequit: nec legitimo, quamdiu è defuncti testamento hæres existit, locus erit, *L. 39. ff. de A. V. O. H. arg. L. 11. pr. ff. de testam. tut. §. 3. Inst. de tut.* propter defuncti testatoris factam electionem, cui lex plurimum confidit, illiusque voluntatem proponendam statuit, *arg. auth. matri & avia C. quando mulier.* Voluntas enim testatoris lex dicitur, & voluntas hominis derogat voluntati legis. *L. fin. §. fin. C. de pact. convent.*

§. I.

§. I.

Per successionem testamentariam heic intelligimus illam, qua fit per quamvis ultimam voluntatem quocunque modo legitimè declaratam: modò defunctus factis perspicuè & clarè expressèrit, quid post mortem suam fieri & quem sibi succesforem esse velit, neque id bonis contrarietur moribus. Hoc si ita observaverit testator, tunc ejus testamentum omni legali dispositioni prafertur, & haredes legitimi haredibus per talem ultimam voluntatem declaratis postponuntur: quod imprimis probatur constitutione Imperatoris Constantini, in *L. 1. C. de SS. Eccles.* quando ita inquit; *habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico, venerabilique concilio decedens honorum, quod optaverit relinquere: & non sine cassa judicia (ejus) & hoc propter eam, quam subjungit rationem: Nihil enim est, quod magis hominibus debeat, quàm ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium.* Idquæ nec Imperatorem Augustum & antè Constantinum ignorâsse, ex hoc apparet, quòd potius testatus quàm intestatus decedere, ac in ultima sua voluntate illum, quem post mortem suam dignum credebat Imperio, succesforem exprimere maluerit; nec non quantum è bonis suis capere debuerint ii, ad quos legitimo aliàs jure nihil pervenire potuit.

§. II.

Talis autem ultima voluntas dicitur uno vocabulo testamentum; ab eo scil. quasi fit testatio mentis; *Aul. Gell. noct. att. lib. 6. cap. 12. pr. Inst. de testam. ordin. variisqûe accipitur modis, ac in latissima significatione*

quamlibet complectitur ultimam voluntatem, etiam codicillos, quanquam non ex ulu juris; *L. 7. C. de codic.* Strictè verò & propriè sumitur pro voluntate ultima, quæ hæredis continet institutionem, (ut sinè qua testamentum non valet, *L. 21. ff. qui testam. fac. poss.* caput enim & fundamentum totius testamenti intelligitur hæredis institutio, §. 34. *Inst. de Legat.*) & de omnibus bonis disponit. In hac quoque acceptione Jure Justiniano codicillis semper opponitur: *arg. §. 2. Inst. de codic. L. 14. C. de testam. L. 1. ff. eod.* Et definitur, quòd sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod post mortem suam & præcipuè quem sibi hæredem quis fieri velit. *L. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Ratione formæ novo Jure illud (nam quotuplex olim fuerit; *add. §. 1. Inst. de testam. ordin.*) est duplex, publicum atque privatum. Illud est, quod publica sustinetur auctoritate ac fide; ut est testamentum Principi oblatum, & testamentum actis publicis insinuatum sive judiciale; *vid. Schütz. Comp. Lauterb. ad h. tit. lit. E. p. m. 485. Donell. lib. 6. cap. 6. p. 1. c. L. 19. C. de testam. L. ult. C. de re judic.* Occasione hujus definitionis Q. an testamentum Principi offerri vel actis etiam à tertia persona vel à mandatario insinuari possit? an verò hoc necessàriò à testatore ipso fieri debeat? R2. affirm. posterius quæstionis membrum, & Neg. prius è communi DD. sententia. Nam hoc testamentum quoad effectum comparatur testamento actis insinuatò, & antiquo testamento, quòd Calatis comitiis fiebat: ut in quibus præsentia testatoris ejusque voluntatis declaratio expressa requirebatur; *Hillig. ad Donell. cit. loc. in not. lit. (d.) ibique citat. Coras. s. miscell. 12. n. 1. Vult. pr. Inst. de testam. num. 31. Brunn. ad L. 19. C. de testam.*

ibique

ibique cit. *Mev. ad jus Lubec.* ex quibus colligitur, quòd neque testamentum actis insinuari neque Principi per tertium offerri possit. Quòd autem illa testamenta judicialia necessariò judici vel etiam Principi sint prælegenda, necesse non est; quod & statuit *Vultejus p. 1. conf. Marb. 34. n. 13. & 14.* quare malè refutatur à *Carpzovio P. III. C. 3. def. 28. & lib. 6. resp. 9. n. 10. & seqq. Berlich. concl. 4. n. 46.* uti hoc asserit *Brunn. ad dict. L. 19. C. de testam.* Privatum est, quod privata fide sustinetur; estque solenne & minus solenne. Illud est rursus scriptum & nuncupativum. Testamentum solenne scriptum est, quod in scriptis solenniter perficitur; §. 3. & 4. *Inst. de testam. ordin.* cujus solennitates vid. in *L. 21. C. de testam.* Nuncupativum est, quod solenniter fit per nuncupationem; hujus solennitates extant in *L. 26. C. de testam. & §. fin. Inst. eod. & passim Interpp.* ad materiam de testamentis. Forma verò testamenti substantialis in genere est hæredis institutio seu hæreditatis delatio cit. §. 34. *Inst. de legat. L. fin. ff. de jur. codicill. & L. 3. ff. de his quæ in testam. delentur.*

§. III.

Constat igitur è relatione Taciti, testamentum O. Augusti ad publicum esse referendum; quia per virgines Vestæ illatum fuit: quibus illud dubio procul Livie instinctu ab O. Augusto insinuatum est, ut eò firmius quasi judiciale sive actis publicis insinuatum ac Principi oblatum, validiusque valeret. Principes enim, sicuti præter Deum & gladium non agnoscunt superiorem; ita quoque Augustus Imperator re ipsa superiorem non agnoscens, aliis testamentum suum offerre noluit; sed

potius illud, ut tantò majorem haberet auctoritatem, tali Dea, sic dicta à *Vi stando* (\*) consecrare voluit: secundum *Ovid. lib. fast. 6.*

*Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.*

qua propter etiam per Eius virgines hoc inferri iussit; quas Numa Pompilius Rex Rom. II. primùm instituit, ac virginitate aliisque cœremoniis venerabiles atque sanctas fecit: Dum hujus Deæ scl. Vestæ ædem Romæ construxit, sacravit, Eiq̃ue virgines ignis æterni custodes assignavit; quæ postmodum à sua Dea, vestales nominatæ sunt; *Rosin. in antiq. Rom. lib. 3. cap. 19. lit. A. Aul. Gell. noct. att. lib. 1. cap. 12.* Et penes has magnorum Virorum testamenta erant asservanda: ut testamentum M. Antonii, de quo vid. *Plutarch.* & hoc testamentum O. Augusti; cujus Tacitus *diçt. loc.* fecit mentionem. Usus enim fuit apud Romanos, testamenta aliaq̃ue instrumenta securitatis potioris gratiâ in loco quodam publico & quidem plerumque in æde sacra deponere atque custodire; Deorumq̃ue fidei & custodiæ demandare. Cujus usus ac moris quædam nobis quoque vestigia sunt in jure nostro: sicut Javolenus *lib. 13. ex Cassio* scribit, in æde sacra interim testamenti tabulas, si hæreditatis controversia ex his pendeat esse deponendas, *L. ult. ff. de tabb. exhib.* Et Ulpianus *lib. 68. ad Edictum*; Tabularium vel ædituum, qui custodiam tabularum suscepit, interdicto teneri; putat, *L. 3. §. 3. ff. cod. aut ficuti Gajus*

---

(\*) Non ignoramus quidem aliis Vestam derivari, quod apud ipsum Rom. eloquentiæ Parentem passim videre licet, à græco, *ἑστία*, aliis, & nobis quidem non abnventibus ab Hebræorum *מִזְבֵּחַ* quod *ignem Dei* significat. Conferantur qui de veterum idololatria commentati fuere.



ius lib. 7. ad Edictum provinciale existimat; si quæ sunt cautiones hæreditariæ, nec inter heredes conveniat, apud quem potius testamenti tabulæ esse debeant, in æde sacra deponi debent; *L. s. ff. fam. ercisc.* Quem morem imitatus Testator noster tuto in loco depositum voluit testamentum; dum harum virginum fidei atque custodia illud commiserit. Utut autem magnus illis virginibus honor erat habitus; ita & delinquentes gravissimis afficiebantur suppliciis, præprimis illæ, quæ stuprum in se admisissent, tristissima & horrendâ pœnâ cumulabantur: de qua vid. *Plutarch. in problem. quæst. cent. Rom.* Quò factò Testator noster & hoc innuere voluisse videtur; quemadmodum hæ virgines vestales castitatis votum sanctum servare debebant ac inviolabile; gravissimâ in transgressores pœnâ statutâ: sic ultimam hanc suam voluntatem tanquam firmam ac infallibiliter servandam & præcipisse videtur.

§. III.

Quamvis enim Auctor noster hoc loco formam testamenti dilertis verbis minimè tradiderit. Verùm tamen & satis perspicuè apparet, O. Augustum suo testamento vim publici testamenti ac potestatem tribuere voluisse. Sunt equidem nonnulli, qui ex verbis Suetonii in *Vita Neronis. c. 4.* ubi inquit, *Domitium fuisse emptorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti;* hoccinne ad antiquum testamentorum genus *per æs & libram* referunt. Verùm, licèt huic auctori magna sit habenda fides, præter illa tamen verba nulla alia habemus vestigia, quòd testamentum hoc cætera testamenti *per æs & libram* requisita, quæ in §. 1. *Inst. de testam. ordin.* enume-

enumerantur, habuerit. Neque etiam verifimile est, O. Augustum prudentissimum Imperatorem, cum sibi solummodo de idoneo successore in suo testamento prospicere voluerit, ridiculo & imaginario hoc testandi ritu, quamvis antea, teste eod. Sueton. in vit. Aug. cap. 64. domi Cajum & Lucium per as atque libram à Patre Agrippa sibi emptos i. e. adoptatos habuerit, usum fuisse. Quum autem præter depositionem apud virgines vestales Autor noster alias hujus testamenti solennitates silentio transmittit: Dubitari heic possit; an etiam Princeps civilibus teneatur legibus? & sic per consequens; an O. Augustus Imperator omnes testamenti solennitates uti privatus observare debuisset? quod quidem è generalibus Jur. Civ. principis Negandum videtur. Cum Legislator lege à se aut prædecessoribus suis lata, quã tali neque quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam (uti loquuntur) obligetur: *L. 31. ff. de LL. Nullum enim, inquit Struv. in S. J. C. Ex. 2. th. 8. adest principium, quod ipsum obligat: nec legem sibi sed subjectis præscripsit: ipse verò non potest simul superior obligans esse, ac inferior obligatus atque subjectus. Et cum materia de qua lex positiva fertur, in se extra istius legis dispositionem sit indifferens, non potest dici peccare Princeps, qui secus agit, ac leges civiles, quas nemo ipsi scripsit, nec ullus præscribere potest, jubent.* Et hoc, quod lex Imperii solennibus juris Principem solvit; *L. 3. C. de testam.* Sed, cum propter exemplum Principis officium exigat, Legibus, licet illis solutus sit, vivere; *d. L. 3. C. de test. L. 4. C. de LL. §. 8. Inst. quib. mod. testam. infirm.* non quidem ex juris necessitate sed proprio arbitrio. Decet enim Principem eas servare leges, quibus ipse solutus

tus

tus esse videtur; *L. 23. ff. de Legat. 3.* hinc si quid inferiori injungere velit Princeps, id prius in se suosque si ipse juris statuerit: tunc omnes facilius habebit obedientes; docente ita Lavino Consule *apud Liv. Decad. 2. lib. 26. cap. 36.* idque imprimis necesse erat O. Augusto Imperatori, qui, licet potentia & auctoritatis in Republica Rom. summa potiretur; tamen prapotens videri volebat: quapropter etiam antiquam Reipublica Romana libertatem semper simulabat, nec quicquam contra populi Rom. voluntatem ac jura se facturum gestiebat. Sicuti quoque erat imperium deponendi simulatio, cum se suspectum de cupiditate regnandi sentiret; ita referente *Dion. lib. hist. 52.*

§. V.

Exinde tamen haud sequitur, O Augustum antiquam *per aes & libram* testandi rationem observare obligatum fuisse: Cum quilibet Imperator omnis solennitatibus recte valideque testetur. *arg. L. pen. C. de don. inr. vir. & uxor. Pruckman. tract. de regal. §. soluta potestas. c. 4. membr. 3. eff. 1. Reink. de regim. sec. & Eccl. lib. 1. class. 3. c. 12. n. 32. Richt. interpret. L. 7. C. qui testam. fac. poss. V. non. num. 26. & Principes Jure militari utantur; Gail. 2. O. 127. Limn. lib. 4. jur. publ. c. 8. n. 138. & 177.* ac proinde ad alias observationes quam ad quas milites in testamentis faciendis haud astricti sint: Praprimis etiam, quod illis sit juris statuendi ac communis abrogandi potestas: *arg. O. Cam. p. 1. tit. 56. Myler. de stat. imper. concl. 44.* hinc ad ejusmodi solennitates ad instar privatorum obligari dici nequeunt, quodque amplius inter Principes non ex apicibus Juris Civilis

B

sed

sed ex mero naturali gentiumque Jure, quod solennitates illas ignorat, res agi debeat; vid. *Jcti Tubing. ap. Besold. p. 6. conf. 272. n. 334.* sic quoque donationes Principum absque insinuatione, item inter conjuges valent, nihil officiente contraria Juris Civ. dispositione; *Boeer. de donat. c. 3. n. 76. Carpz. jurpr. forens. p. 2. Const. 12. def. 16. Besold. conf. 44. n. 37. & seqq.* Harum autem donationum & testamenti eadem est ratio: Et in dubio quoque eligenda semper est illa sententia, quæ pro sustinendo testamento facit. *L. 10. ff. de inoffic. testam. L. 7. C. de testamentar. manum.* Hæcque sententia à magni nominis Jctis est approbata. *Tubing. ap. Besold. cit. loc.* aliisque quam plurimis à *Klock. vol. 3. conf. 102. n. 68.* allegatis. Suetonius quidem in *vita O. Aug. cap. ult.* plurimum testamenti hujus solennitatum facit mentionem: quod scilicet O. Augustus L. Planco, C. Silio, Coff. 3. Nonas Aprilis ante annum & quatuor menses quam decederat, fecerit; ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu scriptum, depositumque apud se Virgines vestales, cum tribus signatis æque voluminibus protulerint. Quæ omnia in Senatu aperta atque recitata fuerint; &c. &c. Ex his omnibus autem concludi non potest, hocce testamentum per *æs atque libram* factum fuisse.

§. VI.

Et si verò testamentum, ut actus alii, certam à Jure Civili accipere possit formam; attamen, eam necessariò in solennitatum adhibitione consistere oportere, rationem haud videmus. Nullam enim ob aliam rationem solennitates illæ adhibendæ nec Jure Civili introductæ sunt,

sunt, quàm propter testamentorum sinceritatem. §. 4. *Inst. de testam. ord.* ut nulla fraus adhibeatur, quæ si absit & aliunde testatoris ultima voluntas, uti hic è Vestæ virginum testimonio, pateat; ibi solennitates aliæ nil operantur; ità ut nec privatus etiam eas accuratè observare teneatur. Dum Justinianus aliàs accuratissimus solennitatum ultimarum voluntatum compilerator, hoc quoque in *L. ult. C. de testam.* certis casibus remisit,

§. VII.

Defendimus itaque hoc O. Augusti testamentum è sola Taciti relatione, quòd scilicet per Vestæ virgines fuerit inlatum, quoad formam tanquam bonum ac legitimum, illudque ratione subiecti, objecti, & formæ inter publica testamenta referimus. Nec etiam requisitum substantiale, hæredis nim. institutionem, & quidem primò, in illo, locò neglectum esse constat. *Tiberium enim & Liviam heredes habuit*, inquit Tacitus: iisque legitime substituit, cujus in sequentibus nobis facit mentionem, ità continuans. *In spem secundam nepotes pronepotesque: tertio gradu Primores civitatis scripserat: & ultimo tandem loco legata distribuit. v. legata non ultra civilem modum.* Hoc sine dubio eam ob causam; quia antè hæredis institutionem inutiliter antea legabatur. Testamentum enim vim ex hæredis institutione ab initio facta olim capiebat: & ob id veluti caput atque fundamentum totius testamenti intelligebatur heredis institutio: *L. 3. in fin. ff. de his quæ in testam. del. L. 1. §. fin. ff. de V. & P. Subst. L. fin. ff. de jur. codic. §. 2. Inst. de fidei com. hered. §. 34. Inst. de Legat. Ulpian. Inst. tit. 25. §. 14.* ubi & rationem affert, quæ O. Augustum movere potuit:


potuit: quoniam ait, *potestas testamenti ab heredis institutione incipit*: ut id quod antea relictum est, tanquam extra testamentum relictum videatur: uti docet *Theophil. ad dict. §. 34. de legat.*

§. VIII.

Hæc de activa testamenti O. Augusti factione dicta sufficiant, nunc passiva nobis venit consideranda. Ubi primò videbimus; an Tiberius & Livia exclusò sivè potius præteritò Agrippa postumo ex filia Augusti scil. Julia, nepote, jure heredes institui potuerint? an verò hic potius illis fuisset præferendus? Quæ ut eò melius discerni possint, Schema O. Augusti familiæ nobis fuit adjiciendum: ex quo Agrippam postumum tam civili ex ratione quàm lege naturæ Tiberio & Liviæ tanquam personis extraneis fuisse præferendum, perspicuè videri potest. Quod etiam, cum ipsa cognosceret Liviæ, novercarum more, ut ille prius è medio tolleretur ac in insulam relegaretur, effecit. De quo factò *Tacit. 1. ann. 8.* ita scribit. *Nam senem Augustum devinxerat (scil. Liviæ) adeò, ut nepotem unicum Agrippam postumum in insulam Planasiam projiceret: rudem sanè bonarum artium & robore corporis sòlidè ferocem, nullius tamen flagitij compertum.* Et sic Agrippa postumus justè de inofficiosa hac præteritione (nominatim enim illum exhæredare necesse Augusto non erat) queri potuisset. Ne verò iniquè aut contra jura quid fecisse videatur O. Augustus; Liviæ primùm in suam familiam adsumsit, dein Tiberium quoque, cum hic jam Germanicum fratris sui Drusi filium adoptasset, sibi adscivit: idque ex ratione §. *pen. Inst. de adopt.* ut Germani-


CUS

Augusti successores:



ab intestato verum Ejus ac legitimum fuisse successorem;  
as fuit.

*Schema exhibens legitimos Octavii Augusti successores:*



NB. Signum \* notat mortuos ante O. Augustum nepotes, unde patet, *Agrippam postumum* ab intestato verum *Ejus* ac legitimum fuisse successorem; qui tamen absque ullo crimine in insulam Planasiam astutiâ Livie novercæ relegatus fuit.





1771  
Königliche Bibliothek  
Leipzig

1771	1772	1773	1774	1775
1776	1777	1778	1779	1780
1781	1782	1783	1784	1785
1786	1787	1788	1789	1790
1791	1792	1793	1794	1795
1796	1797	1798	1799	1800
1801	1802	1803	1804	1805
1806	1807	1808	1809	1810
1811	1812	1813	1814	1815
1816	1817	1818	1819	1820
1821	1822	1823	1824	1825
1826	1827	1828	1829	1830
1831	1832	1833	1834	1835
1836	1837	1838	1839	1840
1841	1842	1843	1844	1845
1846	1847	1848	1849	1850
1851	1852	1853	1854	1855
1856	1857	1858	1859	1860
1861	1862	1863	1864	1865
1866	1867	1868	1869	1870
1871	1872	1873	1874	1875
1876	1877	1878	1879	1880
1881	1882	1883	1884	1885
1886	1887	1888	1889	1890
1891	1892	1893	1894	1895
1896	1897	1898	1899	1900

1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800  
1801  
1802  
1803  
1804  
1805  
1806  
1807  
1808  
1809  
1810  
1811  
1812  
1813  
1814  
1815  
1816  
1817  
1818  
1819  
1820  
1821  
1822  
1823  
1824  
1825  
1826  
1827  
1828  
1829  
1830  
1831  
1832  
1833  
1834  
1835  
1836  
1837  
1838  
1839  
1840  
1841  
1842  
1843  
1844  
1845  
1846  
1847  
1848  
1849  
1850  
1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860  
1861  
1862  
1863  
1864  
1865  
1866  
1867  
1868  
1869  
1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900



cus in successione gradu fieret remotior, qui aliàs jure representationis primogenituræ in Druso ad Imperii successione[m] aspirare potuisset. Quà tamen spe per hanc adoptionis rationem nunc planè privatus fuit; & Livia, tota cum sua familia Cafari Augusto hæredes extranei esse desierunt. Nam Livia in familiam Juliam, h. e. in propriam familiam, nomenque Augustæ, dicente Tacito, assumebatur. Sicque illa in Augusti domum relata, ac Imperatricis nomine ab Augusto digna judicata est.

§. IX.

Possent autem hic dubium moveri: an Tiberius jure adoptare potuisset Germanicum? quia & ipse filium habuit in potestate. Quid verbum adoptare hic sibi velit, nemini juri operam navanti ignotum esse debet; aliquem nimirum in filium adsciscere. Adoptio verò est actus legitimus, quò liberos alienos non invitos in jus liberorum nostrorum adsciscimus. Estque vel Arrogatio vel Adoptio in specie sic dicta; Hac est, quâ persona in alterius patris sivè naturalis seu adoptivi potestate constituta, auctoritate Magistratûs adoptatur: *add. Bœckelm. ad Inst. de adopt. §. 4.* Ac inventa est hæc adoptio in eorum, quibus liberi non sunt, solatium; ne successione spe priventur. Ergò sequitur, illos, qui liberos in potestate habent, non, nisi ipsorum consensu adoptare posse. *arg. §. 7. & 9. Inst. de adopt.* & Germanici adoptio non absque ratione ab Augusto fuit approbata. *vid. Tacit. 1. ann. 3.* sequentibus verbis: *at hercule Germanicum Druso ortum, oçto apud Rhenum legionibus imposuit, adsciri que per adoptionem à Tiberio iussit: quanquam esset in domo Tiberij filius juvenis. ut*  
B 3
hacte-

hactenus suo iudicio satisfaceret Augustus, & haberet nepotem, quem filium habere maluisset: unde apparet Tiberium, quippe qui & ipse filium Drulum, non tam sponte suâ, quàm quòd aliàs ipsum adoptare Augustus nolebat, Germanicum adoptâsse. Quod & satis ostendit *Tranquillus in Tiberio cap. 15.* ab Augusto, inquiring, adoptatur coactus ipse prius Germanicum fratris sui filium adoptare: quod & refert *in Calig. cap. 1. & 4.* Sic quoque hoc dubium ex dictis rationibus cessat. Arrogatio est adoptio, quâ persona sui juris olim auctoritate populi, post verò Principis in filiumfam. assumitur. Hæcque olim fiebat in Comitiiis per populi rogationem, cuius verba sunt sequentia: *Velitis, jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius fiet, quàm si ex copatre matreque fam. ejus natus esset: utique ei vita necisque in eum potestas fiet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo. vid. Aul. gell. N. A. lib. 5. cap. 19. & Cicer. in orat. pro domo sua: ubi Claudii adrogationem exagitat. Nec non Suetonius in Aug. cap. 65. nepotem, inquit, Agrippam & privignum Tiberium adoptavit in foro, lege curiata.* Nil autem officit, quod *Cajus in L. 2. ff. de adopt. dicit; inde adrogationem vocatam, quòd & is, qui adoptat, rogatur, i. e. interrogatur; an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse: & is qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur.* Nam Juris Consultus ad sua respicit tempora, quibus Comitiorum usus à Principibus erat sublatus.

§. X.

Quæstionem verò illam, an adhuc hodiè locum habeat arrogatio, & an necessario coram Principe ejusque

que delegatō, comite scl. palatino fieri debeat? aut, num coram quovis iudice competente perfici possit? hic inferere opera pretium duximus. Quod utrumque affirmamus, sed ad meliorem hujus decisionem duabus separatis quæstionibus proponemus. Primam, quod nim. adhuc in usu sit, probamus ex eo: quod illud, quicquid nova lege non invenitur expresse correctum, veterum legum, constitutionumque regulis relictum omnibus modis intelligatur; *L. 32. §. fin. C. de appellat. L. 12. in fin. C. de reb. cred.* Ast hucusque nulla adhuc statuta, quæ adoptandi vel arrogandi licentiam civibus ademerint, sunt producta. Quod igitur non est mutatum, quare stare prohibetur. *L. 27. C. de testam.* Obijciunt equidem non nulli; jura Romanorum de adoptione nunquam in Germania fuisse recepta, & inde frustra de hodierna hujus juris observantia disputari. Verum enim verò hæc malè supponi, dicente *Dn. Strijck. in usu modern. lib. 1. tit. 7 §. 3.* docet Sanctio Caroli M. Imperatoris; qui solenniter ita disposuit. *Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit coram Comite, vel coram Rege & Scabinis, vel missō dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in Provincia fuerint ordinati, traditionem faciat: Capit. Carol. lib. 6. c. 207.* Et licet *Hahn. ad Wesembec. tit. de adopt. n. 6.* adoptiones parùm in usu esse dicat, rectè tamen monet, eam exinde non planè rejiciendam esse. Sicut & *Dn. Strijck. cit. loc. §. 4.* hunc adoptionis usum multis præjudiciis probat.

§. XI.

Alteram quæstionem, quod coram quovis iudice compe-

competente perferri possit arrogatio; affirmamus etiam cum *Dn. Brunnem. ad Wesembec. de adopt. quæst. 13.* & *Philipp. usu pract. ad Inst. lib. 1. Tit. 11. ccl. 73.* idque ubiuis locorum etiam extra iudicium in ædibus privatis obtinere; *Mull. ad Str. S. J. C. Ex. 1. th. 6. lit. d. in fin.* obstant autem quæ habet *Dn. Strijck. cit. loc. §. 6.* & *Philipp. us. pract. dict. loc. n. 5.* quod verò hæc solennitates omitti possint, add. *Hopp. ad Inst. de adopt. §. 1.* rationes petantur ex *L. 14. C. de procur.* & *L. 30. C. de transact.* ibique *Brunnem. & Strijck. de success. ab intest. diss. 8. c. 6. §. 13.* Solennitas enim in alicujus favorem requisita si omittatur, actum vitiat saltem, si illi nocivus, non si commodus sit, & quæ introducta sunt in favorem alicujus, hanc semper habent conditionem, si ille voluerit; *L. 2. ff. de leg. commiss. L. 13 §. 29. ff. de act. emt. Menoch. consil. 20. num. 13. & seqq.* Effectus arrogationis in hoc consistit, quod patri adrogatori succedatur in omnia bona ab ipso relicta: vicissim eidem conceditur successio in bona filii puberis arrogati, quemadmodum patri legitimo ac naturali. Sed si impubes decesserit, tenetur cavere adrogator, se restitutum bona suis hæredibus ab intestato §. 3. *Inst. de adopt.* Quæ cautio consistit in satisfactione per fidejussores; *L. 2. C. de adopt. L. 17. §. ult. L. 18. 19. & 20. ff. eod.* Satisfactionis enim verbum regulariter significat cautionem fidejussoriam. *L. 1. ff. qui satisd. coguntur.*

§. XII.

Manifestum itaque ex prædictis est, hanc succedendi rationem, non tam astutiæ blanditiisque Liviar, quam O. Augusti ut sagacissimi & ingeniosissimi Principis pru-

pis prudentiæ esse adscribendam. Quod & Trajano Bôc-  
 calini in suis commentariis ad hujus institutionis ado-  
 ptionisq̃ meliorem inveniendam rationem hóc locò  
 rectè priùs notandum putat: quando inquit; *ch'ogni*  
*Imperio nuovo e violente, come era'l Romano à tempi*  
*d' Augusto, è odioso, e ch'i Tiranni hanno necessitâ di molti*  
*figli ed altri Principi del sangue reale, cò quali così forti-*  
*ficano gli stati loro; che gli rendono, come quieti Impe-*  
*rij, che quantunque di sicura successione, per la fecon-*  
*ditâ de' Principi, vengono tanto ben' assicurati, quanto*  
*male indeboliti per la sterilita loro.* Hoc est, quòd omne  
 Imperium novum & violentum, cujus non est legiti-  
 mum initium, quale erat O. Augusti, sit odiosum. Et  
 quòd tyrannis plurimi opus essent liberi, quibus suum  
 firmare possint imperium; quò imbecillius illud est nec  
 diu validurum, si liberis ac successoribus legitimis desti-  
 tuti sint. Huc etiam referri possunt verba *Titi Vespas-*  
*siani ad patrem suum loquentis, ap. Tacit. 4. hist. 52.*  
*Non legiones, non classes, perinde firma Imperij muni-*  
*menta, quàm numerum liberorum.* Qui numerus libe-  
 rorum quoque est ratio; quò minùs tyranni tyrannici-  
 diis sint expositi, quæ ut plurimum veterem vindicandi  
 Reipublicæ formam, prioremq̃e ipsis reddendi liberta-  
 tem pro fine habent. Quem tamen scopum consequi  
 nequeunt: nisi omnes tyranni successores è medio sint  
 sublati. Qui si fuerint plures, tunc subditi, omnesq̃e  
 alii, quorum interest, desperant, potiusq̃e se submit-  
 tere quàm impossibilia tractare volunt. Nec ullo alio  
 auxilio Tiberius O. Augusti Successor hujusq̃e testamen-  
 ti primo loco institutus hæres contrâ crudelissimas oc-  
 cultissimasq̃e Sejani Æmuli ejus traditiones postmodum  
 C  
 tutus

tutus fuit, quàm per liberorum ac successorum numerum. Postquam enim omnia superasset impedimenta, quæ ipsi obesse poterant, quò minus Tiberius ad Imperium perveniret: & hoc ultimum cum aggredereetur, amplissimam nimirum Tiberii familiam ad extirpandam, propositum suum majoris esse momenti, deprehendebat. Hinc; *Cæterum, inquit Tacit. 4. ann. 3 plena Cæsarium domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram capitis adferebant; & quia vi tot simul corripere intutum; dolus intervalla scelerum poscebat.* Audaces equidem solummodo fortuna juvat: *virg. lib. 10. æneid.* sed fortibus est fortuna viris data. *Ennius 7.* & prudentes tempore ac morâ consilia expediunt bona. Nam omnia scelera cum celeritate expedi debent: illis autem nihil magis obest quàm mora, ut quâ bona consilia convalescunt; *Tacit. 1. histor. 32.*

§. XIII.

Ast liberorum numerus licet secundum opinionem *Boccalini* in causa sit, quò minus extirpari possint tyranni: idque è Taciti ratione, quò *plurimis insisterent monumentis.* Cùm legitima proles ac successorum sint fulcra ac munimenta non tam legitimorum quàm illegitimorum in genere Imperiorum: ita & felices predicamus etiam alios status ac regna, quæ successorum multitudine superbire possunt. Infelices è contrario illæ Respublica & hæreditaria regna, quæ talibus orbata sunt, nobis videntur. Illa enim aternitatem sibi promittere queunt; his autem minatur interitus. Hanc jam veram, quòd Cæsar Augustus prædictam instituenti rationem inierit, fuisse causam impulsivam, nobis

NOH



non lubet. Quum & absque hac adoptione & hæredis institutione de successorum multitudine tutus esse potuisset. Imò potiore jure Germanicum privigni sui natu majoris Drusi filium in filii locum adoptare debuisset. In aliam proinde causam atque rationem, quæ O. Augustum movit, ad Tiberium illis omnibus præferendum, inquiramus. Tenendum igitur, O. Augustum non fuisse solum Principem prudentissimum, quem omni memoriâ habuit Univerſum: verum exemplar etiam quoddam omnium illorum, qui violenta unquam firmaverunt imperia, aut stabilire voluerunt: ut quibus non de hærede tantum, sed de tali quoque in specie, qui ad simile imperium continuandum satis aptus esset, cogitandum fuit. Unde non absque ratione judicavit Augustus, hanc novam imperandi formam, cujus *Julius Cæsar* avunculus ejus magnus tanta cum astutia primæ jecerat fundamenta: & quam à Seipſo non sine crudelitate Continuatam stabilitamque sciverat, opus habere successore quodam non stolidè feroce, qualis erat Agrippa postumus, suus nepos; sed potius tali, qui crudelissimæ & acutissimæ indolis, ut Tiberius ejus natu minor privignus, esset.

§. XIV.

Cum nunc O. Augustus, imperia nova, violenta atque tyrannica eadem imperandi ratione esse continuanda, non ignoraret: sicut è contrariò rectâ atque justâ successione delata imperia humanitate ac mansuetudine continuâ conservari debent. Adeo quoque dubitandum non erit, quin haud præviderit O. Augustus, hunc Agrippam postumum ineptum fore ad imperium, suâ

suâque immanitate vitam simul cum imperio esse amissurum: quemadmodum hoc experti sunt, Caligula, Nero, Domitianus, aliique ejusdem cum Agrippa notæ; Germanicum verò tale imperium nimia suâ indulgentiâ nunquam esse continuaturum. Quæ quamvis bonorum Principum summa sit virtus; illis tamen pro vitio computatur, qui, nova & violenta imperia per eam conservari posse, credunt. Hujus vivum nobis exemplum est M. Cæsar Dictator, qui tali imprudentiâ se sibi ipsi ferè dissimilem fecit: existimando, imperium suum tanta cum iniquitate & injustitia sibi acquisitum, indulgentiâ atque humanitate conservari posse. Ast aurea & pudica libertas, quam populo Rom. è manibus extorserat, nullo beneficio, qualecunque illud etiam fuerit, tam facile tamque brevi temporis spatio aboliri, extinguivè poterat: quin non data occasione in subditorum imprimis Nobilium revivisceret animis. Qui enim per vim coacti, ceu re magna sunt privati, odio profequuntur illos, qui coegerunt. Hoc tandem prælaudatus Cæsar dictator etiam est expertus; dum ab illis, quos maximis beneficiis affecerat, proindeque sibi summè astrictos credebat & obligatos, interficeretur.

§. XV.

Magna cum ratione igitur de tali idoneo novoque huic Imperio apto successore O. Augustus sibi prospexit; cum ut prudentissimus Principum facilè prævidere posset; Quòd, quamdiu Imperium Romanum in hac sua permanens esset forma monarchica, illud tam diu immortale existeret, ejusque nomen tanquam primæ monarchiæ, fundatoris felicissimi, prudentissimique ab  
ejus

ejus successoribus in infinitum celebraretur. Quæ certè opinio illum quoque minimè sefellit; Nam ad hæc usque tempora O. Augustus cum avunculo suo magno Julio Casare in regnantibus perpetuò vivere creditur Imperatoribus. Ut qui, ne illorum memoria apud se suosque successores unquam sit interitura, nomen *Cæsaris* atque *Augusti*, tanquam potiora encomia ac epiteta titulis suis inserere voluerunt; & hisce se aliis populis, gentibus atque provinciis terrorem incutere posse credebant. Si verò statim ab O. Augusti excessu imperium, quod astutià tam Julii Cæsaris quàm O. Augusti; Horumque magnò continuòque labore partum & conservatum erat, ad populum Romanum cum libertate fuisset reversum; tunc Illorum memoria non aliam, fortunam quàm violenta imperia fuisset experta; juxta commune tritum, *omnia quòd violenta haud sint diuturna, moderata verò durant*: longè enim valentior est amor ad obtinendum quod velis, quàm timor: *Plin. 8. epist. 24.* Principes autem in eo præprimis, quòd magnorum regnorum prima non modò posuerint fundamenta, sed eadem quoque auxerint atque continuaverint, apud posteros famam gloriam quærunt: *quoniam plus artis est parta tueri, quàm nova acquirere*, nam, dicente ovidio lib. 2. de arte:

*Non minus est artis, quàm quærere, parta tueri,  
Casus inest illic, hic erit artis opus.*

Et hæc gloria forma non Augustò solùm in hac hæredis institutione curæ fuit, verùm nec Tiberio ignota. Ratiocinando enim cum Sejano, inquit: *Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quòd sibi conducere putent; Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad*

*famam dirigenda: add. Tacit. 4. ann. 40.* Quò dictò nihil aliud significare voluit, quàm quòd privatorum amor atque inclinatio quidem respiciat liberorum suorum commodum, illudque pro fine habeat ptincipali; Charitas autem magnorum Principum ergà suos liberos amorque parentalis pro interesse, (uti loquuntur) Reip. dirigenda esset. Quo Auctoris nostri *Tac.* verba, 4. ann. 38. in fin. sequentia, *Cætera Principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: nam contemptu famæ, contempti virtutes; respiciunt.*

§. XVI.

Quòd ergò non soli odio astutiæque novercæ hoc, quòd O. Augustus Tiberium primò locò scripserit heredem, illumque cæteris suis liberis prapofuerit, adscribendum, præcedentibus ex dictis sufficienter patet. Neque hic sufficit ratio *aciti; quò plurimis scl. insisteret munimentis*: Sed quoniam in Tiberio necessariam ad nova continuanda imperia crudelitatem, vigilantiam quandam ineffabilem, ut & singularem imperandi prudentiam perspexerat Augustus; propterea quoque illum è liberis suis solum tanto imperio dignum judicavit. Ad tuenda enim atque conservanda nova ac tyrannica imperia illi, qui crudelis sunt indolis ingeniique, aptiores sunt illis, qui omnia placidè in his similibusque imperiis componere student. Quod cum ignoraret Caesar Dictator, propriam vitam unà cum imperio miserimè amisit. O. Augustus autem, cum non hoc solum non nesciret sed & exequi curaret; & vitam conservavit & annos 56. felicissimè imperavit. *Tacit. in orat. c. 17; & post*

post mortem suam imperio idoneum reliquit successorem. Nam illa; quam O. Augustus in Tiberio perspexit crudelitatem, in historiis vix inveniet parem; quam hic etiam continua cum vigilantia, indefessaque applicatione exercuit. Ita ut, quemadmodum publicis plane implicatus erat negotiis, illis quoque solum delectaretur. Cum nec dolorem ipsum, quem unici sui filioli Drusi obitus parare sibi debuisset, sentiret: teste Tacito, quando 4. ann. 8. inquit; *Cæterum Tiberius per omnes valetudines ejus dies nullo metu (an ut firmitudinem animi ostentaret) etiam defuncto nec dum sepulto curiam ingressus est.* Et cap. 13. *At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens.* Ac quod adhuc majorem meretur admirationem, notandum; cæteros reges ac Principes ab ardore regnandi, quò ab initio usi sunt, ut plurimum circa finem desistere: Tiberium verò è contra ultimis in annis etiam Imperii sui curis negotiisque magis quam ab initio deditum fuisse. Non ignorans, populos, qui libertate jam privati erant & adhuc privabantur, illud marmoreis ac æneis inscribere cordibus, nec tyrannos trucidandi ullam unquam prætermittere occasionem. Unde quoque ad propriam tuendam salutem Tiberius fuit vigilantissimus, nec semel hanc suam crudelitatem exercere destitit in illos, qui sibi ad minimum suspecti erant. Hinc Taciti 6. ann. 38. quæ habentur verba, quando de ultimis vitæ Tiberii temporibus mentionem facit, tantâ majore consideratione sunt digna. *Non enim ait, Tiberium quanquam triennio post cædem Sejani, quæ cæteros mollire solent, tempus, preces, satias, mitigabant; quin incerta vel abolita pro gravissimis & recentibus puniret.* Alibi quoque

que apud eundem Auctorem, nim. 3. ann. 51. in fin. legimus; quòd diuturnitas temporum, aliàs apud omnes homines validissimum iræ atque vindictæ remedium, apud Tiberium haud invenerit locum; sequentibus verbis: *neque Tiberius temporis interjectu mitigabatur.*

§. XVII.

Ut autem Tacitus causam Imperii præcipuam ad formidinem, quam è S. P. Q. R. ergà Germanicum favore Tiberius apud se concepit; 1. ann. 6. referat: Illum tamen patris sui adoptivi artes perveniendi ad Imperium, in illo continuando, non ignorasse; imò ad hoc necessarias fuisse, ex ejusdem Taciti relatione passim patet. Non itaque causa imperii præcipua ad Tiberii formidinem, sed ad Ejus cunctationem referenda; quæ erat simulata quædam modestia ac reverentia ergà Patres conscriptos, donec horum auctoritate Principatus firmaretur. *Nam Tiberius, ait Tacitus 1. ann. 7. cuncta per Consules incipiebat, tanquam vetere Republ. & ambiguus imperandi; ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi Tribunicie potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ. Verba edicti fuere pauca & sensu permodesto: &c. &c. Et quâ astutiâ totius ad Reipublicæ summam pervenerit, è responsione, Asinio Gallo interroganti, quam partem Reipubl. mandari sibi vellet? datâ patet: Nequaquam, collecto animo respondens, decorum pudori suo, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. Quò factum, ut ei soli totius Reip. cura committeretur, cum non aliud discordantis patriæ remedium fuerit, quàm ut ab uno regeretur; idque addita Asinii Galli ratione; unum esse Reip.*

*Reip. corpus, quod non nisi unius animo regendum, hoc-  
que etiam Tiberius summa cum modestia suscepit. Non  
regno tamen, neque Dictatura, sed Principis nomine con-  
stitutam Remp. mari, oceano, aut omnibus longinquis sc-  
ptum Imperium; Legiones, provincias, classes, cuncta  
inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios;  
urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum vi tra-  
ctata, quo cæteris quies esset: referente Tacito 1. ann. 9.  
Idque respicere videntur duo quæ sequuntur; Dabat &  
famæ & postea cognitum est: quæ priori causâ connectun-  
tur, & perspicuè ad cunctationem pertinent. Sunt au-  
tem qui ad festinationem, primam illam causam refe-  
rendam contendunt, quæ nec respicit verbum *cuncta-  
bundus*, sed adverbium, *nusquam*: neque à Tacito præ-  
cipuam dici, quasi alias adjecturus sit, sed præcipuam  
inter cæteras; quæ Tiberium ad festinandum impule-  
rint. Quod verò sequitur, *Dabat & famæ*; censent,  
priori causâ minimè connecti, sed voluisse Tiberium,  
jam de principatu securum, famæ etiam rationem habe-  
re: sicuti *Seneca de Clementia lib. 1.* monet, Principes  
multa famæ quoque dare debere. Nos verò à primo  
sensu non dimovemur, quòd quidem metus, quem ex  
Germanico conceperat Tiberius, inter præcipuas impe-  
rii causas sit referendus, quod & ex Suetonio confirmatur;  
quando *cap. 25. in vita Liber.* ita inquit, *cunctandi cau-  
sa erat, metus undique imminentium discriminum.* Illum  
tamen solam fuisse causam, negamus, sed prudentiæ  
ejus tribuimus.*

Tit. II.

Vera nunc quam videatur fuisse causa, quæ O.  
D Augu-

Augustum moverit, ut Tiberium & Liviam primo loco scripserit hæredes in suo testamento, ex præmissis fat colligendum erit: Quare progrediendum ad secundam hæredis institutionem sive substitutionem; quam Tacitus sequentibus describit verbis. *In spem secundam nepotes, pronepotesque: tertio gradu Primores Civitatis scripserat: plerosque invisos sibi, sed jactantiâ gloriâque ad posteros.* Quid & quotuplex sit substitutio, è primis Juris Civ. principiis liquet; Definiturque, quòd sit secundo vel ulteriori gradu facta hæredis institutio; *L. 1. ff. de V. & P. substit.* Hinc substituti vocantur secundi hæredes, etiam si sint ultiores, eò quòd in locum deficientis primi veniant instituti; *d. L. 1.* sic etiam omnes nuptiæ, quæ primas sequuntur, secundæ appellantur, *gloss. ad rubr. C. de secund. nupt.* Est autem substitutio duplex, directa & obliqua. Illa est, quæ recta via priori herede deficiente ad substitutum hereditas devenit, *d. L. 1.* Obliqua est, quæ fit per fideicommissum, requirens alicujus substitutionem; diciturque substitutio fideicommissaria; *add. Struv. jurisprud. Rom. Germ. for. lib. 2. tit. 19. aphor. 2.*

§. I.

Cum autem simpliciter posita vox substitutionis denotet directam; proindeque substitutio fidei commissis opponatur. *L. 6. §. s. ff. ad Scutum Trebell.* in substitutionibus enim interpretatio semper est facienda, ut directa potius quam obliqua intelligatur substitutio; *cap. 1. de testam. in 6to.* Idcirco quoque hic directam intelligimus. Quæ rursus est duplex: Vulgaris, quæ vulgaribus & communiter usitatis verbis (unde etiam vulgaris dicitur)

cuir



cuius heredi à quovis testatore fieri potest, eum in cæ-  
 lum, si priori gradu hæres institutus defecerit; vel si hæ-  
 res non erit: *pr. Inst. de vulg. subst. L. 4. §. 2. ff. eod. & Pu-*  
*pillaris, quæ à Parentibus fit liberis impuberibus in po-*  
*testate eorum tempore mortis, factique testamenti con-*  
*stitutis, non in eum modò casum, si hæredes non fue-*  
*rint, sed licet fuerint, intra pubertatis tamen annos*  
*decefferint. pr. Inst. de pupil. subst. L. 2. ff. eod.*

§. II.

Ad priorem itaque vulgarem scilicet hanc O. Au-  
 gusti substitutionem, quando Tiberio Liviaque nepotes  
 pronepotesque heredes scripsit, esse referendam, è de-  
 finitione paulò antea tradita perspicuum est. Quinam  
 veò O. Augusti fuerint nepotes pronepotesque, è Sche-  
 mate præmissò apertè constat. Quòd autem his Primo-  
 res civitatis substituerit, ejus rationem Tacitus addit se-  
 quentem; *jactantiâ, gloriâque ad posteros.* Unde quo-  
 que non latet, hanc substitutionem magis instinctu amb-  
 itionis, quàm amore ac inclinatione ergà illos ab Au-  
 gusto factam fuisse. Quaquam & ratio politica hîc  
 tradi potest, illos Augustum substituisse, quò minùs  
 nepotes pronepotesque uti & civitatis Primores à suc-  
 cessione sua se exclusos esse crederent. Infinita enim sunt  
 hominum actiones, quibus se ingenuis moribusque alio-  
 rum accommodare nequeunt: Præprimis ubi vanitas &  
 gloria dominatum tenent, quod etiam quotidiana testa-  
 tur experientia: ubi verò plura quæ superari non pos-  
 sunt, inveniuntur impedimenta; quorum peculiaria  
 sunt, si vulgi judicia effugere cupiant, tunc illis se ac-  
 commodare debent. Quod & hîc O. Augustus, ut non

ignarus, se civibus maximè exosum esse, ambitionis studio non intermisit. Idque *Trajano Boccalini in comment. ad Tacit.* hoc loco illustrat exemplis, inquires: *Il Duca Valentino incensava humilmente i nemici con profonda simulatione per arrivar a suoi fini, o d' intepidirgli, o d'esperimentargli meno contrarj. Come anche Cesare'l Dittatore lasciò herede Marco Bruto non tanto per amore, quanto per timore, sperando, che'l beneficio lo ritenesse dal maleficio.* h. e. Dux Valentinus II. profundâ quâdam amicitia simulatione inimicos suos humillimè convincebat, ut eò melius faciliusque vel ad scopum suum perveniret, vel eos minùs contrarios haberet. Sic etiam Caesar Dictator non tam amore quàm timore Ma cum Brutum fecit heredem, sperans, hocce beneficium illum à scelere fore detenturum.

§. III.

Verum enimverò plerique civitatis Primores quare O. Augusto fuerint invisi, admiratione caret. Dum illis artes suas perveniendi seu arripiendi sibi summam imperii, haud ignotas esse, bene cognoscebat; adeoque omnem lapidem sibi ab illis in adversum moveri non dubitabat. Interim suspecto Senatùs populique Romani imperio ob certamina potentium, & avaritiam Magistratum; invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, & postremò pecuniâ turbabantur; tandem feliciter ad imperium, quod quidem flagrantissimè cupiebat, sed palàm ambire non audebat, pervenit; notante Tacito 1. ann. 2. & 3. Hocque dein fortissimis domus tuæ fulcris, optimisque subsidiis confirmavit.

§. IV.

§. IV.

Occasione substitutionis hujus, dubitationis non inelegantis est: an, si Tiberii nepotes pronepotesque antè Tiberii obitum defecerint, tunc Primores civitatis Ipsi succedere in imperio debuissent? Quæ quæstio è generali juris regula, quòd substitutus substituto sit etiam substitutus instituto, *L. 27. & 42. ff. de V. & P. subst.* facile decidenda erit. Cum enim plures substitutionis gradus fecerit testator (uti hic O. Augustus) substitutus substituto censetur etiam substitutus instituto; §. 3. *Inst. de Vulg. subst. L. 162. ff. de V. S.* Substitutio verò nihil aliud est quàm repetita institutio: idque simili confirmatur ex LL. XII, Tab. quæ proximum agnatum ad hæreditatem vocant; *pr. Inst. de legit. agnat. success.* licet sit supremus, *L. 92. ff. de V. S.* itemque solus, *L. 155. ff. eod.* Et idem obtinet, si quis extraneò, eique unico heredi substituisset, his verbis; *si supremus moreretur, hereditate scl. nondum adita, Titius hæres esto: vel supremo heredi scripto Titium substituo:* Nam cum solus sit, & proximus & supremus est; *Celeber. Dn. Joh. Gædd. ad d. L. 155. ff. de V. S.* Affirmamus itaque dictis ex rationibus, Primores civitatis, si nepotes pronepotesque antè Tiberium decesserint, Illi necessario succedere in imperio debuissent. Dum non nepotibus, pronepotibusque solùm civitatis Primores substituti statim erant, & post eos nemo amplius extabat; sed illis etiam nullus antecedebat. Et sic tam supremi quàm proximi & soli Primores civitatis restitissent; *d. L. 92. & 155. ff. de V. S. & L. 34. pr. ff. de V. & P. subst.*

§. V.

Suetonius Tranquillus *cit. cap. fin. in vita O. Aug.* inter ejus testamenti contenta quidem refert: quòd Tiberium ex parte dimidia & sextante (i. e. besse) Liviam ex parte tertia (h. e. triente) instituerit hæredes primos: Drusum verò Tiberii filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberosque ejus tres virilis sexus secundos heredes; & tertio gradu, propinquos amicosque complures substituerit. Quorum tamen specialium Auctor noster non meminit; vel quòd aliter hæc se habuerint, omnesque in æquales gradus sint instituti atque substituti; vel quòd illa particularia ad propositum suum nihil faciant. Cum nihil aliud quàm principalem Testatoris nostri prudentissimi, finem atque intentionem, quòd nim. solummodò in suo testamento de idoneo sibi prospexerit successore, demonstrare voluit. Licet initialia hujus testamenti verba, quæ refert idem Tranquillus *in Tiberio c. 23.* quando inquit; Testamenti institutum fuit: *quoniam sinistra fortuna Cajum & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia & sextante hæres esto;* pro authenticis reputari possent: quoniam iis, arguente Suetonio ipso, O. Augustus solum modò suspicionem opinantium, successorem adscitum eum necessitate magis, quàm judicio; augere intendit. Quare hisce in medio relictis ad Legatarios progredimur.

Tit. III.

Ordine testandi observatò, tempus erit, ut ad Legata, quorum varia Testator noster O. Augustus post hæredis institutionem & quidem *non ultra civilem modum,*

dum, reliquit, pedem promoveamus. Est autem legatum, delibatio hæreditatis, quâ testator ex eo, quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit; *L. 116. ff. de Legat. 1.* Diversa fuerunt olim legatorum genera & quidem quatuor; per vindicationem, per damnationem, finendi modo; & per præceptionem: *de quibus vid. Ulp. Inst. tit. 25. §. 2. 3. 4. & 5. & §. 2. Inst. de legat.* Parum autem refert, quibus verbis Testator noster sit usus. Sed sufficit modò, voluntatem Ejus obligasse heredes, ut legata præstarent iis solverentque quibus relicta erant. Per illa verò verba, *non ultra civilem modum*, quid Auctor noster intelligat, non adeò manifestum est. An fortassis hoc intendat? legata ab O. Augusto relicta, insinuatione, quæ olim Principum dispositione in donationibus si majores ducentorum fuerant solidorum, requirebatur, ut nim. publicarentur aut ad acta referentur; *§. 2. Inst. de donat. Bud. in annot. prior. in ff.* opus non habuisse. Num verò Augusti modestiam eò significare voluerit Tacitus: quasi dicturus, quòd hæc legatorum datione non se gloriosum & arrogantem ostenderit, sed se aliter quàm civem Romanum haberi atque videri noluerit O. Augustus; Dum si modicè legaverit; *Populo, nempe, ac plebi Rom. CCCCXXXV; prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia: legionariis autem cohortibus civium Romanorum trecentos nummos viritim dedit.* Et eò ipso noster etiam Testator distinctionem quandam inter legatorios suos observavit. Quid autem per nummos hic Tacitus, quorum ne minimam quidem fecit mentionem, & quales comprehendat, pro posse ostendemus.

Nummus seu numisma, ut generale nomen est, accipitur pro quovis aere sive pecunia in quacunq[ue] materia, formâ & figurâ signatâ. Quo in significato generaliori *Tullius*, *civitas*, inquit, *in qua nummus moveri nullus potest sine quinque Prætoribus; in orat. pro Flacco*. Occurrit tamen nec rarò idem nomen in specialiori significatione; quemadmodum apud *Varronem de re rustica* legimus: *ex pavonibus M. Aufidius Lurcho supra sexaginta millia nummum in anno dicitur capere*: qui nummus pro aere tunc vulgari & usu receptissimo sumitur. Istos autem diversò metallò, primùm ex aere, mox argento & auro demùm cudi solitos fuisse; prolixè docet *Plinius H. N. lib. 33. c. 3*. Nummus aureus fuit *as*, ejusque partes, *triens*, *quadrans*, *sextans*: & quòd veteres aereis nummis, ovium boviumque effigie à *Servio Tullio* signatis usi fuerint; *add. Plin. lib. 18. c. 3. & lib. 36. c. 3*. Argenteus nummus erat *Drachma*, seu *bigatus* & *quadrigatus* à notis eorum dicti; *Liv. lib. 22. cap. 52. Zaf. in catalog. leg. antiq. Plin. lib. 3. c. 33*. nam argenti nota fuère bigæ atque quadrigæ. Item *Denarius*, sic dictus, inquit *Varro lib. 4. ling. latin.* quod aris valebat denos: *Quinarius*, i. e. asses quinque seu dimidium Denarii; *August. lib. 2. emendat. cap. 7. & Sestertius*. Nummus aureus valebat sestertios aris centum, h. e. denarios argenteos 25. *vid. Hotom. in comment. verb. jur. fud. L. 47. ff. de manum. testam. §. fin. Inst. de pœn. tem. litig. ubi solidus pro aereo accipitur; ut in L. 12. & ult. ff. de in jus voc. L. 8. §. fin. & L. 9. ff. de inoff. testam. §. 1. Inst. de obligat. quæ qs. ex del. nasc. dictus est solidus* quòd

quòd folido & integro pondere efflet percuffus: *Lampr. in Alex.* & eft feptuagesima fecunda pars libræ auri. *L. 5. C. de fufceptor. & arcar. (10. 70.) add. Jafon. ad L. fin. ff. de in jus vocando.*

§. II.

Supputandi rationem apud Romanos fuiſſe duplicem invenimus; per *asses* nim. & quod frequentius *O. Auguſti* ævo fieri ſolebat per *Sextertios*. Per *asses* expreſſo & tacito *aſſium* nomine ſupputabant: exempli gratiâ, legem in XII. Tab. habemus, quem ita reſtituere non veremur. *SEI. QUIPS. ENJOVRIAD. ALIENAS. ARBOSES. COISIT. ENDO. SENCVLAS. XXV. AIRIS. LVITOD.* & aliam; *SEI. ENIOVRIAM. ALTEREI. FAXIT. XXV. AIRIS. POINAI SVNTOD.* confer. *Aul. Gell. N. A. lib. 20. cap. 1.* ubi ſemper *asses* ſubintelliguntur. Sic etiam *Varro lib. 8. ling. latin.* æs pro *aſſibus* accipi antiquis ait, unde & mille æris legâſſe dicunt: hocquæ ſenſu verbum æs in *L. 2. pr. & L. 27. §. 5. ff. ad leg. Aquil.* accipiendum putamus. *As* autem præter propter quatuor *chalcos* ſivè unum *crucigerum* valebat.

§. III.

Attamen *ſextertiorum* longè frequentiffimus in rationibus fuit uſus: nec rarò nummorum nomine hi veniunt, vel cum iſtis conjunguntur; imò *ſextertii* & *nummi* olim fuerunt idem. Sciendum verò eſt, *ſextertios* maſculino genere ſignificare ſingulos nummos *ſextertios*. At *ſextertia* neutro genere ſingula millia nummum *ſextertiorum*

E

ſtertiorum

stertiorum comprehendere ; ut *Horat. lib. 1. epist. 7.*  
*ψ. 580.* inquit

*Dum septem donat sestertia, mutua septem  
 promittit :*

adeò quoque quindecim mutua & quindecim millia mu-  
 tuum idem sunt ; *vid. L. 40. ff. de reb. cred.* Sestertius  
 quasi nummus semis tertius, fuit quarta pars denarii, ac  
 pro computo nostro duos asses cum semisse vel decem  
 chalcos valebat ; & *ναρ' ἑξοχην* etiam nummus dicebatur ;  
 & signabatur hisce notis *LLS. add. Prob. de not. Rom.*  
*inter auctores linguæ latinæ à Gothofred. editos :* quasi  
 duas libras & semissem. Quæ verò postea in isthanc  
*HS.* vitio quodam confluxere : *add. Hotom. de not. se-*  
*stert. in comment. in orat. Ciceron.*

§. IV.

Hujusmodi nunc fuisse nummos ab Auctore no-  
 stro quidem commemoratos sed non expressos, nulli  
 dubitamus. Maximè cum Suetonius, qui idem *Cæsaris*  
*O. Augusti* testamentum recenset, ferè nominetenus  
 atque memoratis signis hocce descriperit : *Legavit Po-*  
*pulo Rom. quadringenties, tribubus tricies quinquies*  
*HS. Prætorianis militibus singula millia nummo-*  
*rum ; &c. in vita Aug. cap. ult.* Adeò hisce præsup-  
 positis *O. Augustum* cuius prætoriarum cohortium militi  
 legasse mille nummos sive sestertios, nostræ monetæ  
 florenos circiter 41. & 20. albos : legionariis autem co-  
 hortibus civium Romanorum trecentos, (non trecentos  
 uti vulgò legunt apud Tacitum alii) nummos, i. e. 12½  
 florenos viritum dedisse, conjicimus.

§. V.



Num autem jus accrescendi inter hos O. Augusti legatorios locum invenire potuerit? hinc denuo dubitari potest. Cujus ad quaestionis meliorem decisionem obtinendam modus legandi autem omnia bene considerandus erit; an scilicet conjunctim, num verò disjunctim legata fuerint relicta. Dicitur autem jus accrescendi, cum portio deficientis accrescit portioni non deficientis inter conjunctos legatarios. Et dictum est ab accrescendo; juris potestatem significans, quae deficientis pars alicui sine facto etiam invito accrescit; *L. 35. pr. L. 53. §. 1. ff. de acq. vel omit. hæred.* ut adeo jus accrescendi locum habeat, duos pluresve inter se conjunctos esse oportet. Sunt autem conjuncti, quibus eadem res uno testamento relicta est: quod fit triplici modo; *re tantum*, *verbis tantum* & *re & verbis simul*: *L. 142. ff. de V. S.* *Re tantum* conjunguntur, cum pluribus eadem res sine vocula conjungente diversis orationibus datur; e. gr. *Cajo fundum Mævianum lego, Titio eundem fundum Mævianum do, lego*; & licet hi verbis disjuncti videantur, re tamen ipsa faciunt partes concursu, & jus accrescendi obtinet; *L. 89. ff. de legat. 3. & dist. L. 142. ff. de V. S.* *Verbis tantum* conjuncti dicuntur; qui vocula quidem conjungente & eadem oratione ad eandem rem vocantur sed æquis partibus v. gr. *Sejo & Sempronio æquis portionibus fundum Tusculanum do, lego*: Hi quidem re disjuncti intelliguntur, quia æquales partes sunt relictae, eaque intellectu separatae; attamen inter eos etiam jus accrescendi est: *d. L. 89. ff. de legat. 3. & L. 142. ff. de V. S.* *Re & verbis simul* conjuncti sunt, quibus eadem res sine aliqua partium designatione relinquitur, hoc modo;

E 2

modo;

modo; Titio & Mævio fundum Sejanum do, lego: ac id imprimis in hujus juris accrescendi propriissimam cadit rationem; & qui eâ gaudent conjunctione, cæteris præferuntur: *d. L. 89. ff. de Legat. 3.* Nam duo vincula arctius ligant quàm unum: *Auth. cessante. C. de legit. hered. Auth. itaque C. comm. de success.*

§. VI.

Paucis hisce præmissis, sat sufficienterque perspiciendum erit, inter quos Testatoris nostri legatarios Jus accrescendi obtinuit. Ait enim Tacitus, *legata non ultra civilem modum, nisi quòd populo & plebi CCCCXXXV.* Quibus ex verbis colligi potest, quòd conjunctim certus hic nummum numerus populo & plebi fuerit relictus; & quidem non simpliciter, sed mixtim, i. e. re & verbis simul. Hinc si unus vel alter deficeret, quia aut spreverit legatum, aut vivo testatore decesserit, vel alio quoque modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet. *§. 8. Inst. de legat. L. un. §. 8. & 11. C. de caduc. toll.* Affirmamus itaque & pro vero annuimus; hoc jus accrescendi inter hos O. Augusti legatarios conjunctos locum invenire potuisse; & quidem ex præsumpta testatoris voluntate, quia expressis verbis conjunctim certum ac definitum aliquem nummorum numerum scilicet CCCCXXXV. nummos illis legavit: inter reliquos autem non, quia neque conjunctim neque disjunctim illis legatum, sed diversi numeri diversis personis sunt relictæ. Ji verò quibus singulis separatim pro parte res aliqua est legata, hoc jure accrescendi, secundum *Gloss. ad tit. ff. de usufr. accresc. L. 1. pr. in verb. partis rei;* gaudere nequeunt.

§. VII.

§. VII.


Unde denique colligimus, O. Augustum per conjunctam hanc legatorum relictionem; plebis quoque benevolentiam atque gratiam captare voluisse: Dum cæteros cives à Patriciis & Senatoribus neutiquam separavit; *arg. §. 4. Inst. de Jur. N. G. & C.* ita ut spretis fortasse legatis ab his, integra ad illos, cæteris scilicet civibus, accrescitur intenderit. Hæc jam occasione Divi O. Augusti testamenti pro intentione nostra atque proposito dicta atque notasse sufficiant: Cætera, quæ ejus occasione observari atque commentari debuissent ac potuissent, historicis ac politicis relinquimus. B. L. obnixè rogantes, ut conatibus nostris non modò non invidere, verùm etiam favere, illosque, donec majora præmeditari tempus & occasio præbent materiam, benignè interpretari velit. Hoc interim, quod impræsentiarum de Cæsaris Augusti testamento est actum, instituti nostri sit

FINIS.



E 3

COROL.



## COROLLARIA.

**J**ure Civili in testamento solenni septem testes ad id specialiter rogati requiruntur. Jure Canonico testamentum coram presbytero & duabus vel tribus personis idoneis; aut ad pias causas coram duobus tantum testibus etiam non rogatis factum, est firmum.

### II.

Jure Civili Episcopi & administratores Ecclesiarum non possunt testari de bonis, quæ propriâ industriâ vel laboribus suis acquisiverunt, sed omnia relinquere Ecclesiis coguntur. Jure Canonico verò possunt testari atque disponere pro lubitu de bonis propriis aliter quam contemplatione Ecclesiæ quæsitis ex sua industria & facultatibus.

### III.

Mulier neque Jure civili neque Jure Canonico in testamento testis esse potest. Ast in testamento ad pias causas, mulierem Jure Can. testem esse posse, statuunt DD. communiter.

### IV.

Principes, licet facultate jure militari citra solennitatem testandi exornati sint; attamen cautius facturos, si in testamentis suis juris solennitates observarent, putamus.

### V.

Clausula codicillaris non impedit, quò minus testamentum postumi agnatione rumpatur, si scilicet præteritio non facta fuerit scienter.

### VI.


Gradus qui in Accdemis conferuntur, prout diversi sunt, aliusque alio dignior: ita quoque ratione gradus, quò quis insignitus est, amplioribus gaudet privilegiis. Sed Doctoribus juris tantum competentia privilegia quidam præponunt.

### VII.

Defensio corporis, famæ ac fortunæ omni jure est licita, ita ut etiam aggressorem sese defendendo prævenire liceat.

### VIII.

Stellionatus judicium famosum non est, sed coercitionem extraordinariam habet.



**M**AJORUM præclara legis vestigia  
KLEINSCHMID,

Par Genere, ut Studiis non minor  
esse queas.

Et nunc exponis, Latii memorabile scriptis,  
*Supremum* AUGUSTI CÆSARIS  
*Elogium;*

Sedulus inceptam properans absolvere te-  
lam,

Ingenium pandis sic, studiumque  
TUUM.

Si pia vota TIBI quidquam proficere  
possunt,

Est hujus nostri, candida summa metri:  
Sicut AVUM illustrem Jurisprudencia no-  
stra,

Præclarumque PATREM, pro meritis  
celebrat,

Sic faustus sit Honor, quo TE Themis  
alma beabit,

Ac fies Patriæ, Pieridumque decus!

*Honori & meritis Nobiliss. Dn. Candidati,  
Patriarum & Avitarum Virtutum  
Æmuli, l. m. m. q. p.*

JOHANN. WILHELM.  
WALDSCHMIEDT,

U. J. D. Professor Juris & Philof. Pract. Ordin.

22

MAIORUM FIDELIA LEGE VESTIGIA  
KERNERIANI

PER GROSSI ET BONA NOTITIA  
LITTELLA

LEUCOPHONA LAM. ET  
SICUTI AUREA ET CRYSTALLINA

ET ALIA QUAE PROPRIO SUI VICE  
SUNT

INGENIUM PARS IN AERIALIBUS  
LITTELLA

SI PIS VERA TABULI DULCISMI  
DOLLOR

ET ALIA AD CIBUM LAMINATA  
SICUTI AUREA ET CRYSTALLINA

SUNT  
LITTELLA

PRELIMINARIUM AD  
LITTELLA

DE HABILITATE HONORIS ET  
LITTELLA

AD HOC PARS QUAE  
LITTELLA

LITTELLA  
LITTELLA

LITTELLA  
LITTELLA

Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle

003 599 06X

3



1A → OLSb. f  
Nur 24-27 Stück verknüpft







245  
Pri. 55. num. 46. P. 00. 45  
1719, 2.

SPECIMEN INAUGURALE  
EXHIBENS  
ARGUMENTUM UNIVERSUM  
TESTAMENTI  
O. AUGUSTI

P. 288.

ATACITO I. ANN. VIII. RELATUM,  
NOTIS AC OBSERVATIONIBUS JURIDICIS  
ATQUE POLITICIS ILLUSTRATUM

QUOD

DEO T. O. M. DUCE ET AUSPICE

EX DECRETO AC PERMISSU

INCLUTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ILLUSTRACADEMIA PATRIA MARBURGENSI

PRO LICENTIA


SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES,  
INSIGNIA ET PRIVILEGIÀ DOCTORALIA RITE  
AC SOLENNITER PROMERENDI

PUBLICO HUIUS ACADEMIÆ PROCERUM, PRÆCEPTORUM  
SUORUM HONORATISSIMORUM EXAMINI SUBMITTIT

NICOLAUS WILHELMUS *Meinischmid*/

AD DIEM XXIV. AUGUSTI MDCCXIX.

IN AUDITORIO JCTORUM AD LANUM.



MARBURGI CATTORUM,  
Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.

